

ADNOTATIONES AD LITTERAS APOSTOLICAS MOTU PROPRIO DATAS: DE IUDICIIS PRO ECCLESIA ORIENTALI(*)

Si anno nondum elapso post promulgationem novi iuris matrimonialis litterae Summi Pontificis Motu proprio editae sunt quibus normae de Iudiciis in Ecclesia Orientali statuuntur, id, ut ex introductione constat, instantiis ipsorum Antistitum Orientalis Ecclesiae debetur. Hi enim a Pio PP. XII propter Motu proprio "Crebrae allatae sunt" gratias referentes, urgere asserebant, ut saltem canones ad ecclesiastica tribunalia spectantes promulgarentur ne magnum incommodum et detrimentum fideium animis exorirentur. Nec mirum quod tantum momentum his legibus tribuitur; nam bona iustitiae administratio maxime profecto pendet a normis quibus iudiciis providetur. Quae autem de his in fontibus iuris ecclesiastici orientalis habentur, magna ex parte antiquata, plurima non bene definita sunt vel ex toto deficiunt normae certae quibus regantur. Accedit quod christianorum communitatibus in Oriente qui subiiciuntur Statibus islamiticis, ab antiquo in quaestionibus quae statum personalem, matrimonium, haereditatem, etc., tangunt, autonomia agnoscitur. De controversiis in his materiis ortis tribunalibus ecclesiasticis iudicare competit. Nostris temporibus non pauci in his regionibus habentur, praesertim ex iuris peritis, qui has praerogativas abolere volunt provocantes ad deficientiam tribunalium ecclesiasticorum. Curandum igitur omni cum sollicitudine erat, ut haec accusatio cadere non posset saltem in catholicos.

His rationibus incitatus Summus Pontifex die 6 ianuarii huius anni Motu proprio "Sollicitudinem nostram" etiam pro Ecclesia Orientali ordinem iudiciorum clare definitum et completum promulgavit. Haec lex quae die 6 ianuarii 1951 executionem suscipere incipiet, complectitur materias iuridicas in Lib. IV, Parte I, C. I. C. (can. 1.552-1.998) tractatas. In cap. I, Partis I, can. 5-13 inseruntur aliqui canones de potestate ordinaria et delegata (CIC can. 196-210), quatenus ad potestatem iudiciariam referuntur.

(*) Motu proprio "Sollicitudinem nostram", AAS, 42 (1950), 5, 120.

Nemo mirabitur quod non solum ordo rerum sed etiam ipsi canones maxima ex parte conveniunt cum canonibus C. I. C. Nihilominus non paucae differentiae habentur; nos, ut liquet, immorabimur in his differentiis indicandis et explicandis, ex quibus aliae graves, aliae parvi vel minimi momenti sunt. Tres igitur partes nostrae lucubrationis habentur:

I. De differentiis quae nituntur in diversitate ordinis iuridici Ecclesiae occidentalis et Ecclesiae orientalis.

II. De ceteris differentiis quae substantiam iuris attingunt.

III. De differentiis quae formam tantum canonum respiciunt.

I. DE DIFFERENTIIS QUAE NITUNTUR IN DIVERSITATE ORDINIS IURIDICI ECCLESIAE OCCIDENTALIS ET ECCLESIAE ORIENTALIS.

Unum tantum regimen in Ecclesia habetur, quocum omnes qui in Ecclesia potestatem habent cohaerere debent. Tamen huic unitati non contradicit quod ordo eorum qui partem in regimine habent, diversus sit in variis Ecclesiae partibus. Omnes uniri debent cum capite Ecclesiae, sed non requiritur ut fiat eodem modo. Ita in Occidente omnes Episcopi immediate pendent ab Episcopo Romano, paucis iuribus servatis Metropolis. In Oriente e contrario varii gradus Episcoporum habentur ex quibus alii aliis superiores sunt, non solum honore sed etiam potestate. Breviter igitur loquendum de Patriarchis, de Archiepiscopis, de Metropolitibus.

Iam a saeculo IV/V totum territorium imperii Romani orientalis inter quattuor Patriarchas dividitur (Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum). Eis subordinantur Metropolitae, quibus iterum subiiciuntur Episcopi provinciae. Decursu temporum alii Patriarchae accesserunt sive quod propter luctas dogmaticas christiani dissidentes sibi propriam Patriarcham, antiquae sedis patriarchalis titulo, constituerunt (ita Jacobitae, Copti, etc.), sive quod populi recenter ad orthodoxiam conversi, tamquam vitae nationalis propriae coronam propriam patriarcham cum novo titulo sibi creaverunt (Bulgari, Serbi, Russi, etc.). Etiam catholici orientales, ad Ecclesiam reversi, pro adiunctis regimen patriarchale conservaverunt. Sic Patriarchae etiam nostris temporibus, quamquam eorum potestas in multis regionibus magis limitata est, caput sui ritus et Ecclesiae nationalis esse pergunt, hac ratione ut apud catholicos magis ritus—qui sane secundum conceptiones nunc vigentes fere cum natione confunditur—apud dissidentes magis natio consideratur (1).

In MP clare opponitur Patriarchae *Archiepiscopus*.

(1) Cf. A. COUSSA, *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, vol. I (Romae 1948), n. 186, p. 204 ss.

Non semper ita fuit, neque ubique ita est. Antiquis temporibus, saec. LV-VI titulus Archiepiscopi Episcopis principalioribus dabatur, imprimis igitur Patriarchis sed etiam Episcopis aliarum maiorum sedium. Praeter tur hac ratione Episcopi capiti provinciae seu Metropolitae non subiecti tur hac ratione Episcopi capiti provinciae sen Metropolitae non subiecti qui alium superiorem non habebant nisi Patriarcham (Archiepiscopi autocephali). Sed cum in Ecclesia byzantina paulatim omnes Archiepiscopi autocephali ad dignitatem Metropolitae honoris causa saltem eveherentur, hic titulus nunc in Ecclesia graeca obsoletus factus est. Apud Latinos omnes Metropolitae titulo Archiepiscopi gaudent et Episcopi quos Romanus Pontifex ad personam hoc titulo auxit. Usus huius tituli, ut in MP apparet, redit ad primam significationem eatenus quod datur Episcopo maioris sedis seu cui Metropolitae subordinati sunt, vel subordinari posse praevidentur. Est Hierarcha munitus potestate patriarchali inferiore, sed quae aliquatenus accedit ad potestatem patriarchalem. Apud dissidentes similis figura habetur ubi Ecclesiae nationali praeest non Patriarcha, sed Archiepiscopus et Metropolita, ut in Ecclesia regni Graeciae Archiepiscopus et Metropolita Atheniensis. Apud catholicos talis Archiepiscopus (maior) usque ad id tempus non habetur; accedit aliquatenus ad hanc figuram Archiepiscopus et Metropolita Alba-Julienensis et Fagarasiensis. Rumaenorum (2).

Tertius gradus hierarchicus in Ecclesia Orientali est *Metropolita*. Iam in concilio I Nicaeno eius iura et officia definita sunt (325), et ulterius in conciliis quae sequuntur. Per multa saecula Metropolitae provincias ecclesiasticas regebant et Episcopi provinciales ab eis dependebant. Verum tam in Oriente quam in Occidente eorum auctoritas paulatim deminuta est. Hodie neque apud catholicos, neque apud dissidentes Metropolitae cum potestate quam olim haberunt, existunt. In Patriarchatibus eorum iura transierunt ad Patriarchas. Tamen nostris quoque temporibus instantiam appellationis constituere solent; quod valet extra patriarchatus saltem (3).

His de variis gradibus hierarchicis praemissis videbimus nunc quae tribunalia secundum MP pro Orientalibus existunt et quaenam sit eorum competentia.

I. *Tribunalia Ecclesiae universalis.* 1.º *Summus Pontifex* qui ut liquet non ipse iudicare debet sed alium delegare valet (can. 15). In MP sermo non est de Concilio Oecumenico quod primo Ecclesiae millenio Patriar-

(2) *Ibidem*, n. 190, n. 212; A. AMANIEU, art. *Archevêque*, "Dict. de droit canonique" t. I, col. 927 ss.; E. HERMAN, art. *Autocéphale*, *ibid.*, col. 1475 ss.

(3) A. COUSSA, loc. cit., nn. 191, 192, 287 ss., pp. 214, 286 ss.; E. HERMAN, *Appunti sul diritto metropolitico nella Chiesa bizantina*, "Orientalia Christiana Periodica", t. XIII (1947), pp. 541 ss.

chas iudicavit. Cuius mentio omissa est quod nostris temporibus extraordinarium potius tribunal dicendum est. 2.° *Tribunalia Sedis Apostolicae* (can. 16).

2. *Tribunalia patriarchalia*. 1.° Patriarcha cum Synodo permanenti. (can. 17, et 18, §§ 1, et 2). Usque ad id tempus apud catholicos Synodus permanens non habebatur. Tamen iam saec. IV et V quemadmodum Romae ita in Oriente Patriarchae ad quaestiones graviores tractandas synodum Episcoporum vicinorum aliorumque qui in sede patriarchali versabantur congregare solebant. Maxime celebris facta est synodus "endemusa" Constantinopolitana. Quod haec synodus nunc etiam in patriarchatus introducta est, innovatio est magnae utilitatis. Regulariter Synodus permanens est consilium Patriarchae non solum in re iurisdictionaria, sed in universo regimine patriarchatus. Normae autem in MP datae spectant tantum ad iudicia, ut ex ipso novae legis scopo consequitur.

De modo compositionis Synodi permanentis, etc., cf. can. 86-89. Ubi propter aliquam gravem causam Synodus permanens constitui non possit, causa perdurante et Sede Apostolica praemonita, *Consilium patriarchale* constituendum est quod Synodi permanentis vices in omnibus suppleat. (can. 90) (4). 2.° *Ipse Patriarcha*, sive solus, sive cum duobus aliis iudicibus ad normam, can. 46, § 1, 1.° (cf. can. 18, § 3). 3.° *Tribunal ordinarium sedis patriarchalis* (can. 85). Ut hoc tribunal eam auctoritatem habeat quae necessaria est tribunali instituto in utilitatem totius patriarchatus, praescribitur ut distinctum sit tribunali eparchiae Patriarchae propriae. Non solum proprios iudices, promotorem iustitiae et vinculi defensorem habeat et instructum sit auditoribus, notariis, aliisque necessariis ministris, sed iudices auditores, promotor iustitiae diversi sint a iudicibus, auditoribus, promotore tribunalis eparchiae propriae Patriarchae (can. 85, §§ 2, et 3). 4.° *Tribunal eparchiae Patriarchae propriae*. Cum Patriarcha propriam eparchiam habeat, quam regit eodem modo atque ceteri Episcopi, canones quae de tribunalibus in singulis eparchiis instituendis tractant, etiam huic eparchiae applicantur.

3. *Tribunalia archiepiscopalia*. 1.° *Archiepiscopus cum Synodo permanenti* (vel cum *Consilio archiepiscopali*) (cf. can. 91). 2.° *Ipse Archiepiscopus* aut solus aut cum duobus iudicibus (can. 20, § 1). 3.° *Tribunal ordinarium sedis archiepiscopalis* (can. 20, § 2). 4.° *Tribunal eparchiae propriae Archiepiscopi*.

(4) De Synodo permanenti v. J. ZHISHMAN, *Die Synoden und die Episkopalämter in der morgenländischen Kirche*, Viennae 1867; cf. A. COUSSA, loc. cit., n. 282, ss., p. 281.

4. *Tribunal metropolitanum*, quod est primae instantiae in causis quae secundum ordinarias regulas ex ipsa eparchia ad iudicem deferuntur; quod est secundae instantiae in causis iudicatis in prima instantia coram Episcopo comprovinciali.

5. *Tribunal eparchiale* (can. 37 ss.). Quod in singulis eparchiis erigendum est, nisi aliter provisum sit.

6. *Tribunal regionale*. Vicem tribunalium pro singulis eparchiis rectorum tenere possunt tribunalia regionalia seu tribunalia pro pluribus eparchiis constituta (can. 38). In CIC nulla horum mentio fit, sed post promulgationem CIC iam in nonnullis regionibus, praesertim Italiae, eiusmodi tribunalia erecta sunt. Secundum MP canon 38, § 1, reservatur eorum erectio Sedi Apostolicae aut Episcopis in Synodo congregatis. Hierarchae vero pro quorum eparchiis tribunal regionale collegiale constitutum est, nequeunt in sua eparchia tribunal eparchiale valide erigere (§ 2). Hoc praescripto non impeditur Episcopus quominus tribunal coram unico iudice constituat. Apparet in hac norma studium reservandi causa graviores tribunalibus bene instructis ut administratio iustitiae perfecte absolvatur.

7. *Tribunal pluribus ritibus commune*. Ubi in eodem territorio plures ritus cum propriis Hierarchis habentur, Hierarchae iurisdictionem in eodem territorio intra patriarchatus obtinentes, inter se convenire possunt de constituendo tribunali unico quod causas sive contentiosas sive criminales fidelium cuiusvis ritus alicui ex iisdem locorum Hierarchis subiectorum cognoscat (can. 39, § 1). Haec alia via est curandi ut causae subtrahantur tribunalibus parvarum eparchiarum quae clero satis instructo ad iudicia saepe carent, et reserventur tribunalibus ad quae constituenda plures eparchiae contribuerunt et quae propterea maioris serietatis certitudinem praebent.

His de variis tribunalibus dictis iam breviter de earum competentia loquendum, cum in hac re maiores fere differentiae inter CIC et MP existant.

1) 1.º *Causae Summo Pontifice reservatae*.—Eaedem sunt atque in CIC, his exceptis: a) Expresse nominantur etiam *coniuges* eorum qui supremum actu tenent populorum principatum. Commentatores ceteroquin eas in CIC implicite contineri iudicarunt (5). b) Alterum est quod ad S. R. E. Cardinales adiunguntur Patriarchae (can. 15, 2.º). Antiquis tem-

(5) CARL. LEGA, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, t. I (1938), p. 34-35; F. ROBERTI, *De Processibus*, t. I, ed. 2.ª, p. 184; S. GOYENECHE, *De Processibus*, t. I, p. 41; J. NOVAL, *De Processibus*, t. I (1920), p. 37.

poribus Patriarchae mox a Concilio Oecuménico, mox a synodo pátriarchatus, interveniente non raro potestate civili, iudicati sunt, salva appellatione ad Sedem Apostolicam. Nostris vero temporibus, cum ipsi Episcopi in causis criminalibus a Summo Pontifice solo iudicentur, omnino consentaneum erat, ratione habita auctoritate et veneratione quibus gaudent, subiicere eos iudicio solius Romani Pontificis, idque et in causis criminalibus et in contentiosis. c) Tertium est quod pro eorum dependentia Episcopi in duas species dividuntur. Episcopi extra patriarchatus et archiepiscopatus constituti reguntur eodem iure atque Episcopi latini; i. e. in causis criminalibus Romani Pontificis dumtaxat est eos iudicare (can. 15, 3.^o). Episcopi vero in patriarchatibus et archiepiscopatibus, ut postea melius definietur, in causis criminalibus gravioribus tantum iudicantur a Romano Pontifice, processu instructo a Patriarcha cum Synodo permanenti; in causis criminalibus minoribus vero conveniuntur coram Patriarcha cum eodem Synodo, ut melius explicabitur in canone 17.

2.^o *Causae reservatae tribunalibus Sedis Apostolicae.*—Non paucae quoque hic differentiae inter CIC et MP habentur. a) Et primo quidem secundum CIC coram his tribunalibus conveniendi sunt Episcopi residentiales in contentiosis (can. 1.557, § 2, 105). In MP vero (can. 16, § 1, 1), vero eadem distinctio locum habet quae supra exposita est; conservatur haec norma CIC quoties agitur de Episcopis extra patriarchatus vel archiepiscopatus. Qui vero in patriarchatibus vel archiepiscopatibus inveniuntur Episcopi, subiiciuntur tribunali patriarchali et archiepiscopali. b) Episcopis residentialibus in MP assimilantur extra patriarchatus vel archiepiscopatus “Syncellis exceptis, ceteri locorum Hierarchae sive in contentiosis sive in criminalibus”. Hi in CIC non nominantur, sed Codicis commentatores idem ex aliis locis Codicis deduxerant (6). c) Ultimum: conveniri debent coram tribunalibus Sedis Apostolicae etiam “personae ecclesiasticae, sive physicae, sive morales, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent”. Mentio personarum physicarum ad textum CIC addita est; ceterum hic quoque commentatores CIC viam huic additioni paraverant (7).

2) 1.^o *Causae reservatae Patriarchae cum Synodo permanenti.*—Quae in canon 17-19 statuuntur bene illustrent differentiam quae intercedit inter ordinem hierarchicum Ecclesiae latinae et Ecclesiae orientalis. Iure vigente in Occidente omnes Episcopi residentiales immediate Roma-

(6) ROBERT, loc. cit., p. 185; S. GOYENECHE, loc. cit., p. 41.

(7) ROBERTI, loc. cit., p. 186

no Pontifici subordinantur, paucis vestigiis superioris potestatis Metropolitanis servatis. In Oriente, e contrario, Episcopi residentiales et titulares ad Ecclesiam aliquam particularem pertinent, cui praeest Patriarcha et quae ulterius divisa est in provincias a Metropolitibus rectas. Hic ordo nostris diebus, ut iam diximus, intactus non servatus est, sed eius idea hodie quoque manet. Sub non paucis respectibus etiam orientales Episcopi immediate pendent a Romano Pontifice, praesertim si de iure divino agitur. Sed in plerisque aliis dependentia ordinatur secundum gradus ordinis hierarchici. Ex hoc consequitur ut actus regiminis et iurisdictionis ordinarii absolvantur intra limites ipsius Ecclesiae particularis seu ipsius patriarchatus. Ad superiorem auctoritatem deferentur negotia et causae si aut remedia ipsius Ecclesiae interna exhausta sint, aut peculiaris negotii vel causae gravitas interventum supremi capitis Ecclesiae requirat. Secundum haec principia explicandi sunt canones novae legis.

Si igitur Episcopi propter suam dignitatem singulare forum habere solent, hoc tamen diversum erit pro diversitate ordinis hierarchici ad quem pertinent. Ubi Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, coram huius tribunali conveniri debent; ubi vero habent, huius Superioris iudicio subiacent, salvo limitibus a iure vigente huic iurisdictioni statutis, id est causis gravioribus de quibus soli Romano Pontifici iudicium reservatur.

Qui Episcopi autem censentur subiacere tribunali Patriarchae, definitur in canon 16, § 1, 1.º, et 17, § 1, 1.º Duplex elementum requiritur, primum ut hierarchice subiiciantur Patriarchae, id est, ut sub iurisdictione sint Patriarchae sive quod eparchiae praeficiuntur quae pertinet ad patriarchatum, sive, si de Episcopis titularibus agitur, quod mandato Patriarchae ordinati sunt. Alterum, ut domicilium vel quasi—domicilium in patriarchatu habeant. Nam licet extra patriarchatum pertinere pergant ad hierarchiam eius si hunc Episcopum coram tribunali Patriarchae convenire deberent; propterea tales causae tractandae sunt sicuti causae Episcoporum extra patriarchatum constitutorum. His suppositis ita competentiam Patriarchae cum Synodo permanente definire possumus.

a) *In causis criminalibus.*—In MP duae species causarum criminalium distinguuntur, minores et maiores. Haec distinctio fundatur in decreto Concilii Tridentino. Patres huius concilii constituerunt ut causae graviores, seu illae quae depositione aut privatione dignae essent, ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscerentur et terminarentur. Potuit vero commissione speciali delegari instructio Metropolitanae vel Episcopo a Romano

Pontifice eligendo (8). Minores vero criminalis causae in concilio tantum provinciali cognoscerentur et terminarentur, vel a deputandis per concilium provinciale. Concilia recentiora Orientalium catholicorum hanc normam receperunt et Patriarchis quoque applicaverunt (9). Nunc in MP aliquibus opportunis mutationibus inductis repetitur. Non iam de commissione peculiari sermo est, sed ipso iure Patriarcha hac facultate gaudet. Neque concilia provincialia seu patriarchalia nominantur, sed Synodus permanens. "Patriarcha insuper, ad scandalum vitandum remedia opportuna interim adhibere potest" (can. 17, § 1, 2.^o). Causas vero criminales minores Episcoporum sibi subiectionum, ut supra explicavimus, competit iudicare Patriarchae cum Synodo permanenti.

b) *In causis contentiosis*.—Secundum idem principium supra expositum apte reservantur causae contentiosae Episcoporum, in patriarchatus, Patriarchae cum Synodo permanenti. Sed ne minoribus causis hoc tribunal obruatur, haec reservatio limitatur ad causas graviores et ad causas in quibus agitur de summa vel re cuius pretium excedat triginta millia francorum aureorum (can. 18, § 1, 1.^o). Quae sint causae gravioris momenti definiri debet in Synodo patriarchali, quae est organum legislativum patriarchatus. Notandum est hic primum in lege processuali Ecclesiae competentiam ex valore rei vel summae, de qua agitur, determinari. In administratione honorum ecclesiasticorum, e contrario, iam nunc secundum CIC res excedunt valorem triginta milium francorum alienari non possunt sine licentia Sedis Apostolicae (can. 1532, § 1, 2.^o). Advertendum quoque est in patriarchatibus Episcopos titulares eadem ratione atque Episcopos residentiales tractari (can. 18, § 1, 1.^o). In Oriente maxime attenditur dignitas ordinis et Episcopi titulares quoque auctoritate gaudent quod plerumque in Curia patriarchali negotia totius patriarchatus nomine Patriarchae gerunt. In Ecclesia latina magna pars Episcoporum titularium sunt coadiutores Episcoporum residentialium. Hinc forte fit ut hic Episcopi titulares in causis contentiosis foro singulari non gaudeant sed subiiciantur tribunali Ordinarii (10). Idem valet in territoriis orientalis ritus Patriarchae vel Archiepiscopo non subiectis.

c) Idem principium de quo supra locuti sumus, applicatur etiam si statuitur canon 18, § 1, 2.^o, Patriarchae cum Synodo permanenti esse iudicare *eparchiarum contentiosas causas*. Huc ultimo deferendae sunt

(8) Sessio XXIV, de reformatione, c. 5 (cf. sessio XIII, de ref., c. 8).

(9) Pars III, cap. IV, n. 33, *Collectio Lacensis*, t. II, col. 325; *Concilium Sciarcense Syrorum* (188), cap. VII, art. III, p. 213-4; *Concilium Alexandrinum Coptorum* (1898), Sectio III, cap. I, art. III, p. 183, 10).

(10) ROBERTI, p. 185; GOYENECHE, p. 41

causae de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae seu domus vel curiae eparchialis quae in CIC quoque forum peculiare habent (cf. canon 1.572, § 2).

2.^o *Causae reservatae tribunali solius Patriarchae aut Patriarchae cum duobus iudicibus.*—Locuti sumus de causis criminalibus et de causis contentiosis gravioris momenti Episcoporum et residentialium et titularium. Reliquum est ut videamus de causis eorum contentiosis minoris momenti. Quas causas iudicare, secundum (can. 18, § 3), competit Patriarchae, firmo canon 46, § 1, 1.^o; idest Patriarcha solus has causas videre potest, nisi agatur de causis enumeratis in canon 46 quae reservantur tribunali collegiali trium iudicum, cui normae etiam Patriarcha stare debet.

3.^o *Causae reservatae tribunali ordinario sedis patriarchalis.*—Quod tribalia Sedis Apostolicae sunt pro tota Ecclesia, tribunal ordinarium sedis patriarchalis est quodam modo pro toto patriarchatu. Haec analogia attenditur intra certos limites in definitione competentia huius tribunalis: a) Ad illud spectat iudicare Hierarchas locorum, Syncellis exceptis, Patriarchae Syncellos atque delegatos qui non sint Episcopi (can. 19, 1.^o) (Patriarchae syncelli prae ceteris Syncellis singulare forum obtinent quod regimen eparchiae Patriarchae propriae ad eos fere devolvitur, salva semper auctoritate Patriarchae). b) Illi competit iudicare “personas physicas vel criminales Superioris in religione iuris pontificii exemptione pontificia § 1” (i. e. de monasterio stauropégiaco) (can. 19, 2.^o). c) Contra analogiam vero est et exceptio regulae generalis iuris quod ei subiiciuntur in re iudiciali “religiones iuris pontificii exemptione pontificia fruenter” (firmo can. 51, § 1, ides de confoederationibus) et “causae contentiosae vel criminales Superioris in religione iuris pontificii exemptione pontificia fruenta, qui in eadem religione Superiorem iudiciali potestate praeditum non habeat” (can. 19, 3.^o, et 4.^o). Ad hanc normam probe intelligendam considerari debent historia monastica et religiosa Orientis et peculiararia eius adiuncta. Decursu saeculorum in Oriente illa rituum distinctio orta est qua constitutio Ecclesiae orientalis a latina differt tam manifesta ratione. Patriarcha vero caput totius ritus haberi solet, cui cura omnium quae ad ritum spectat commissa est, et omnes qui ad hunc ritum pertinent, in territorio patriarchatus, ei tamquam capiti subiici solent. Idcirco perfecta illa exemptio ut in Occidente habetur, aliqua ratione limitanda visa est ut traditionibus Oriente melius cohaereret. d) Ultimo loco nominantur causae ex iuris praescripto tribunali patriarchali reservatae (canon 19, 5.^o).

4.º *Causae spectantes ad competentiam tribunalis eparchiae Patriarchae propriae.*—Competentia huius tribunalis iisdem limitibus circumscribitur quibus competentia tribunalium eparchialium in genere.

3) 1.º *Causae reservatae Archiepiscopo cum Synodo permanenti.*—Competentia Archiepiscopi cum Synodo permanenti imitatur quadantenus competentiam Patriarchae cum Synodo permanenti. In criminalibus vero minor est. Causae maiores criminales Episcoporum eius iudicio plene subtrahuntur; in causis minoribus competit ei processum instruere; sententia autem ferri non potest nisi praevia romani Pontificis speciali delegatione (can. 17, § 2). In contentiosis vero causis Episcoporum aliisque quae canon 18, Patriarchae cum Synodo permanenti reservantur, eandem potestatem habet atque Patriarcha.

2.º *Causae reservatae Archiepiscopo soli aut cum duobus iudicibus* Hic quoque applicanda sunt quae statuuntur canon 18, § 3 de Patriarchis.

3.º *Causae reservatae tribunali ordinario sedis archiepiscopalis.*—Huic tribunali applicantur quae statuta sunt de tribunali ordinario sedis patriarchalis in canon 19, 1.º, non vero quae habentur in eodem canone 2.º, 5.º Id facile intelligitur, cum auctoritas Archiepiscopi minor sit auctoritate quam habet Patriarcha.

De competentia reliquorum tribunalium nil addendum est ad ea quae supra diximus.

Antequam vero huic capiti de constitutione et competentia tribunalium finem imponamus, breviter loquendum est de *tribunalis secundae et tertiae instantiae*. In Ecclesia latina hierarchia tribunalium constituitur tribunali dioecesano, tribunali metropolitano, tribunali Sedis Apostolicae. In Oriente vero in patriarchatibus et archiepiscopatibus habetur tribunal tertiae instantiae in ipsa territorio patriarchali vel archiepiscopali, i. e. tribunal ordinarium sedis patriarchalis vel sedis archiepiscopalis. Hoc in theoria, sed cum in patriarchatibus exercitium iuris metropolitici suspensum sit, in secunda instantia iudicant Patriarchae. In tertia instantia dein causa deferri potest per appellationem vel ad Sedem Apostolicam, vel ad alios iudices a Patriarcha aut Archiepiscopo nominatos (can. 73, § 1). Sicut receptum est in S. R. Rota, ita nunc etiam in tribunalibus ordinariis patriarchalis vel archiepiscopalis sedis admittuntur plures "turni" seu collegia trium iudicum qui de eadem causa in diversis instantiis iudicant. Si vero Patriarcha vel Archiepiscopus ipse parte iudicis per se egit, appellatio interponi debet ad Sedem Apostolicam (can. 73, § 2). Hodie enim non admittitur ut idem de eadem causa in duabus instantiis iudicet; neque

inferior potest de sententia Superioris iudicium emittere. Eadem principia servanda sunt, si causa in prima instantia pertractata est coram tribunali metropolitano aut patriarchali vel archiepiscopali.

II. DE CETERIS DIFFERENTIIS QUAE SUBSTANTIAM IURIS ATTINGUNT.

Immorati sumus in hac quaestione hierarchiae et competentiae tribunalium, cum praecipuam differentiam constituat inter ius latinum et ius orientale atque nata sit ex ipsa diversa constitutione hierarchica Occidentis et Orientis. Aliae quoque mutationes introductae sunt in textum CIC; quae ex parte ad substantiam, ex parte ad formam et modum dicendi pertinent. Nos prius de illis dicemus et tria capita attingemus quae in MP non parum aucta sunt si ea cum textu CIC comparas.

1) *Canones de compromisso in arbitros.*—In CIC caput *de modis evitandi iudicium contentiosum*, absolutis canonibus “de iudiciis in genere” in Sectione II, “De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis” ponuntur (= cans. 1.925-1.932). Notum est iuris civilis peritos non parum disputasse ultimis decenniis de loco in quo isti articuli in Codicibus apte collocarentur. In MP recepta est sententia eorum qui eos ante canones “de iudicio contentioso in genere” collocandos esse iudicaverunt, et ob iustas sane rationes; nam ob orta controversia, primo tempore videtur an lis componi et iudicium vitari possit. Quod si non obtineatur, tunc demum causa ad tribunal deferenda est. Ex duobus articulis in capite “de modis evitandi iudicia” contentis, prior. “De transactione” minores tantum mutationes subiit; alter vero “De compromisso in arbitros” multis auctus est canonibus. Si in CIC ad hoc compromissum quod attinet, remittitur ad ius civile, id in MP omissum est et disciplina compromissi in arbitros ipsa lege canonica stabilitur. Ita melius apparet qua istam utilitatem auctor legis ex hoc instituto iuris speret; promptior enim solutio et magis pacifica controversiarum illo obtinetur.

Viri docti non parum inter se disputaverunt de natura potestatis arbitri. Plerique censent eum non habere veram iurisdictionem seu potestatem vere iudicalem, sed alii etiam ex recentioribus contradicunt. Quamquam expresse de hac quaestione in MP sermo non est, tamen apparet omnes actus qui iurisdictionem supponunt, reservari iudici. Ita hic tantum de poenis infligendis decernere potest (can. 107, § 2); sententiam corrigit si error materialis inciderit (can. 115), provisiones cautelares de quibus in canones 189-198 statuit; sententia ad arbitris lata a vicario iudiciali confirmanda est, ut executioni mandari possit (can. 112).

Nihilominus praescribitur MP ut arbitri sententiam ad normam iuris ferre debeant (can. 110). MP non solum silet de arbitratoribus qui de bono et aequo negotium pertractent et transigant (cf. can. 1.929, CIC), sed ne partibus quidem permittit, ut facultatem concedere valeant arbitris, diiudicandi causam secundum aequitatem, ut in Codicibus civilibus non raro statuitur. Hac ratione, certo, magis cavetur de iudicio iusto et arbitrio non obnoxio. Quanta cum cura legislator iustitiae laesionem etiam in hoc iudicio arbitrari excludere studeat, apparet eo quod omnia fere iuris remedia quae in ordinario iudicio contra sententiam iniustam adhiberi possunt, partibus etiam in compromisso de arbitris conceduntur, ne exclusa quidem appellatione, tunc saltem si partes scripto inter se convenerunt de sententia huic remedio subiicienda (can. 120).

2) *De iudicio contentioso coram iudice unico* (cans. 453-467). — In CIC plerique canones vel tribunalis constitutionem vel ipsum processum spectantes sine distinctione tam tribunali unius iudicis quam tribunali collegiali applicantur. In MP vero nova Sectio II introducta est qua processus coram iudice unico solus ordinatur et a processu coram tribunali collegiali discernitur. Praescripta huius capituli eo tendunt ut processum, cum de controversiis minoris momenti agitur, expeditiorem et faciliorem reddant, salva necessariis cautelis iustitiae et regularitatis.

Legislator si processum coram iudice unico simpliciorem et expeditiorem reddit, ex altera parte limites inter quas hic processus admittitur, restringit. Consentaneum enim erat excludere a competentia huius tribunalis omnes causas quae certam gravitatem habent. Idcirco ad causas quae iam in CIC tribunali reservatae sunt aliae accedunt, nempe ad causas:

- a) de vinculo sacrae ordinationis; b) de vinculo matrimonii; e) de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae (can. 1.576, § 1, 1.º) adduntur in MP non solum causae de oneribus sacrae ordinationi adnexis, et c) de separatione coniugum, sed etiam; d) de statu personarum, de natalibus, legitimatione proles, de iuribus et praecipue de dote vel de alimentis a validitate matrimonii dependentibus; f) de iure foundationis seu patronatus ad personam moralem spectante; g) de re patrimoniali cuius pretium excedit summam decem millium francorum aureorum (can. 46, § 1, 1.º). Causae criminales iudicio tribunalis collegialis subiectae eadem manent in MP atque in CIC, reducto vero numero iudicum etiam in causis depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici vel degradationis ad tres vel propter difficultatem congregandi numerum quinque iudicum

in tribunalibus ecclesiasticis ordinariis Orientis, vel quod numerus trium iudicum vere sufficiens aestimatur.

Aperta hac ratione via ad maiorem facilitatem et simplicitatem iudicii coram unico iudice, numerus personarum intervenientium minuitur, termini breviantur: partes defendere se valent per se ipsas vel per unicum advocatum (can. 454); "partibus non licet plus quam quatuor vel quinque testes adducere" (can. 455). Iudex intra triduum ab exhibita petitione iudiciali praecipere debet communicari exemplar eius reo (can. 457) Hic inter decem dies respondere debet, actori ad replicandum idem terminus concedi potest (can. 458). Elapsis his terminis iudex partes citet ut coram se compareant adsignato termino non infra decem nec supra triginta dies (can. 459). In audientia probationes colliguntur et statim in eadem audientia proceditur ad discussionem oralem (can. 461 et 462). Fine discussioni orali imposito, si iudex ex actis et probatis censeat causam sufficienter instructam, poterit sententiam vel statim pronuntiare vel eandem differre, non tamen ultra tres dies (can. 463). Facultas fit iudici, si ita necessarium ducit, alteram atatuere audientiam (can. 464). Sententiae textus quamprimum edendus est, ad summum intra quindecim dies (can. 467). Ex his omnibus apparet studium excludendi dilationes inutiles et implicationes a partibus non raro fraudulenter productas et expeditam reddendi administrationem iustitiae quod ad bonum commune tantum confert.

3) *De iudicio criminali.*—In CIC canones ad solum iudicium criminale spectantes collecti sunt in unum ex titulis Sectionis II quae inscribitur: "De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis." In MP vero habentur tres Partes: I, "De iudiciis in genere"; II, "De iudicio contentioso"; III, "De iudicio criminali". Quod iam hoc novo ordine conicere licuit, nempe maiorem attentionem dari in MP iudicio criminali, confirmatur ipsorum canonum perscrutatione. In priore capite: "De iis quae praeunt iudicio criminali", MP sequitur CIC, aliquibus mutationibus introductis. Alterum caput vero ex toto fere novum est et praestat simplicitate et claritate expositionis. Ordo et evolutio processus criminalis plerumque convenit cum ordine et evolutione processus contentiosi, mutationibus ubi ex natura rei requiruntur, introductis. Attentionem peculiarem quoque novi canones dant partibus privatis et actioni civili ex delicto ortae. Hic non est locus pleniorum huius partis commentarium scribendi.

4) *De aliis minoribus mutationibus quae ad substantiam iuris spectant.* Praeter differentias maiores de quibus locuti sumus, non paucae aliae in MP inveniuntur: addendo, omittendo, ordinem mutando, alios terminos vocibus CIC substituendo redactores novae legis textum Codicis recognoverunt. Non intendimus hic catalogum completum omnium mutationum proponere, sed aliquatenus differentias inter CIC et MP existentes illustrare.

1.º Primo agemus de canonibus MP in quibus *dubia quae de mente CIC exstiterunt, soluta sunt vel textus clarior proponitur.* Huc spectant canones in quorum textum recepta sunt responsa Pontificiae Commissionis ad C. I. C. authentice interpretandum vel SS. Congregationum; videantur can. 28 (1565 CIC), § 1; 416 (1890); 430 (1903); 478 (1971), § 1, 1.º et § 3; 497 (1989), § 1; 498 (1990), etc.

Notamus praeterea can. 16, § 1, pr. quo enumerantur qui "conveniri debent" coram tribunalibus Sedis Apostolicae. Hoc termino clare apparet personas in hoc canone nominatas forum coram tribunalibus Sedis Apostolicae habere tantum si sint rei, non si ipsae sint actores. Verba CIC: "Tribunalibus... reservatur iudicare" ab aliis eodem sensu intellecta sunt (11), ab aliis vero de reo et actore (12).

In can. 189 (1672), § 1, additur "... qui *probabilibus argumentis* ostenderit se super aliqua re ab alio detenta ius habere sibi que damnum imminere, nisi res ipsa custodienda traditur...", ne quis ex solis verbis CIC concludat certam requiri probationem. In can. 204 (1684), § 1, accuratius definitur quisnam ad rescissionem actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo actionem proponere possit, distinctione introducta inter actum inter vivos et actum mortis causa. Ex can. 1573, § 7, forte quis concluderet, officialem electum Vicarium Capitularem obligatione teneri novum nominandi officialem; sed in MP can. 40, § 7, expresse dicitur: "... *potest nominare*". In can. 413, § 2, statuitur appellationem ab altera parte incidenter factam interponendam esse "intra terminum peremptorium decem dierum a die quo ipsi appellatio principalis notificata est" (cf. 1887, § 2). Hac rãtione clare indicatur a quo termino tempus ad appellationem utile decurrere incipit.

Inter alios canones qui clarius praescripta CIC proponere student, cf. can. 5 (199 CIC), § 3; 23 (1560), § 4; 32 (1569), § 2; 176 (1661); 226 et 227 (novi); 323 (1800), § 4; 353/354 (1830); 421/422 (1895), etc.

2.º Alii canones textum CIC *corrigere student*, ubi minus accurate confectus videtur. Ita nunc legitur in can. 9, § 1: "utrum potestas dele-

(11) ROBERTI, p. 187; GOYENECHÉ, p. 41.

(12) LEGA, p. 33 s.

gata fuerit singillatim an collegialiter exercenda..." (can. 205, § 1, CIC: "utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter..."); item in § 2. In can. 1729, § 2, CIC sermo est de iudice qui "quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit..." In MP can. 251, § 2, reservatur vox "excipiendi" partibus: "... si iudex non contradicat". In can. 253, 1.º, scriptum est: "si praeter rem petatur foenus", quod accuratius dictum esse videtur quam "si in locum rei petatur pretium, foenus aut aliquid". CIC, can. 1731, 1.º.

Aliae minores correctiones videre est in can. 193 (1675), § 1; 292 (1770), § 2, 4.º; 316 (1793), § 3; 364 (1840), § 2; 373 (1840), etc.

3.º In nonnullis casibus *relicto praescripto CIC* in MP, *novum ius* constituitur. Ita secundum CIC can. 1577, § 2, tribunali collegiali "praest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt". In MP vero, can. 50, § 1. "Ponens processum dirigit et decernit quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt". Cum hac norma congruit quod, secundum can. 387, § 3, "... ponens ...mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus...", et secundum can. 388, "ponentis est moderari pro sua prudentia nimiam defensionum extensionem", mutato in utroque casu praescripto CIC, in quo haec munera praesidi tribunalis tribuuntur (cf. can. 1863, § 3 et 1864). Ceterum in S. R. R. hic ordo iam receptus erat.

Iam in CIC *citationi* varii effectus tribuuntur quae anterioribus temporibus coniuncti erant cum litis contestatione. In MP ipsa instantia initium habet, non iam litis contestatione, sed citatione, can. 254 (1732). Peremptio instantiae quae secundum CIC post biennium et in gradu appellationis post annum locum habet, secundum can. 258 (1736) post annum et in gradu appellationis post sex menses obtinet.

Episcopus secundum CIC can. 1574, § 1, non plus quam duodecim iudices synodales nominare debet; secundum MP can. 41, § 3, non infra quatuor. Hic parvitatibus eparchiarum ratio sine dubio habita est. Periti secundum CIC can. 319, § 1, non solum ob causas quibus testes (= CIC can. 1796, § 1), sed ob aliam quoque iustam causam recusari possunt. Si CIC spiritu traditionali transmissionem sententiae ad partes per publicos tabellarios limitavit ad loca ubi usus viget, MP hanc limitationem pro nostrorum temporum condicionibus abstulit, can. 401 (1877). In can. 404, 10, MP non iam admittitur appellatio a sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam

biscentum francorum aureorum (cf. CIC, can. 1880 ubi tale praescriptum deest).

Attentionem in fine meretur quod in MP facultas iudicis procedendi "ex officio" extenditur etiam in processu contentioso, in casibus lege determinatis, ad vitandam evidentem iniustitiam vel ad protegendam partem debiliorem. Haec tendentiis nostri temporis magis respondent. Ita can. 134 (1619), § 1; 264 (1742), § 2; 281 (1759), § 3; 347 (1824), § 1; 390 (1866), § 2; 431 (1904), § 2; 443 (1916), § 3.

4.º Non paucae demum factae sunt *additiones ad textum CIC*, ubi ita suaserunt *vel peculiares Orientis condiciones vel deficientia normae clarae vel opportunitas stabiliendi novam normam*. Ad priorem speciem referri possunt can. 71 quo permittitur ut in tribunali eparchiali iudices et ministri assumantur ex personis diversi ritus; can. 79, § 2, quo definitur qua ratione S. R. Rota iudicare valeat causas ad fideles rituum orientalium spectantes quae per appellationem ad Sedem Apostolicam deferuntur; can. 137 quo permittitur ut Orientales pro sua erga ss.mam Crucem devotione hanc in iureiurando emittendo tangant, loco Evangelii; can. 151, § 2, secundum quem iusta ex causa Patriarcha vel Archiepiscopus erigere possunt ad actum tribunal in quolibet sui patriarchatus vel archiepiscopatus loco; can. 436, § 3, continet hortationem: Hierarchae diversorum rituum, latini quoque, in eodem territorio iurisdictionem obtinentes collatis consiliis eandem regulam taxarum iudicialium pro omnibus statuendam curent. In can. 1972 statutum est ut matrimonium quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum, post mortem alterius vel utriusque coniugis ita praesumatur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur—"aut"—, ita adiungitur can. 497, MP, "aliter ferant Statuta personalia"; secundum can. 497 (1989), § 2, causae matrimoniales in tribunali patriarchali retractari possunt, consentiente vinculi defensore—contra regulam generalem—mutatis tamen iudicibus.

Inter canones qui normas datas a CIC complent, can. 26, § 1, determinat forum illius cuius ignotum est domicilium et quasi-domicilium, § 2 cuius ignotum est domicilium et quasi-domicilium et locus commorationis. Can. 57-62, 64 (novis), accuratius circumscribuntur officium et iura promotoris iustitiae et defensoris vinculi. Can. 76 (1596) vult principium paris numeri iudicum in prima instantia et in instantia appellationis iudicantium etiam in causa coram tribunali unici iudicis servari; CIC loquitur tantum de tribunali collegiali. Ad normam can. 192 (novi) iudex ei cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit,

cautionem de damno imponere valet. Can. 194 et 195 (novis) iudex facultatem obtinet statuendi ut necessaria alimenta interim praestentur, quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem. Si testis sit surdus, mutus vel surdus et mutus interrogationes vel responsiones vel utraeque scripto fieri possunt, nisi iudex interpretis opera uti malit, can. 301 (novus). In can. 398 (1874), § 5, de conscribenda sententia, explicita mentio sigilli tribunalis additur. In can. 406 (novo) expresse declaratur—quod canonistae iam ex aliis argumentis deduxerunt—a delegato non dari appellationem ad delegantem, nisi delegans sit ipsa Sedes Apostolica. Can. 408 (novo) deceditur conflictus competentiae, quoties alia pars ad tribunal Apostolicae Sedis, alia pars ad aliud competens tribunal appellaverit, in favorem tribunalis Sedis Apostolicae. Can. 432 (1905), § 1, definiuntur termini inter quos sive minoribus sive maioribus aetate datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum. Can. 444 (novo) imponitur parti victricis quae gratuito patrocinio usa est, solutio expensarum iudicialium, si vel pecuniae summam vel rem pretio aestimabilem consecuta sit, quae sit quintuplo maior summa quae pro expensis iudicialibus solvenda esset. Can. 471, § 2, 2.º, et § 3, facilius redditur instructio processus super rato et non consummato, si iudex competens iudicium peregerit de matrimonii nullitate ex alio capite. Secundum can. 35 (1571) “qui causam vidit, *vel in eadem causa operam praestitit* in uno iudicii gradu, nequit in alio eandem causam iudicare *aut partem assessoris agere*. (Quae addita sunt, sublineavimus.) Quod de assessore statuitur, commentatores iam in CIC contineri vel talem assessorem suspectum saltem esse voluerunt (13). Difficilius definitur qui “in eadem causa operam praestitisse” censendi sunt. Ratio certe habenda est can. 128 (1613), § 1, quo iudex prohibetur a suscipienda causa, in qua antea advocatum, procuratorem aut—haec adduntur in MP—peritum vel testem egerit. In § 2 dicitur: “In iisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi—in MP adduntur—assessor et auditor.” Accuratio horum canonum comparatio ad aliud tempus remitti debet.

Alia additamenta videri possunt in can. 1 (1552), § 2, 1.º; 7 (201 CIC), § 1; 37 (1572), § 1; 169 (1654), § 2; 172 (1657), § 3; 429 (1902), 4.º etc., in quibus additamentis clarius effertur quod iam in CIC implicite statutum erat.

Non immorabimur in indicandis omissionibus integrarum paragrapha-

(13) LEGA, p. 106; GOYENECHÉ, p. 62.

rum vel partium canonum, quamquam hae quoque interdum lucem de intentionibus legislatoris afferre possunt.

III. DE DIFERENTIIS QUAE FORMAM TANTUM CONONUM RESPICIUNT.

Ultimo pauca dicenda sunt de *lingua MP*. Paucae sunt mutationes quae ad *terminologiam* pertinent; praeter ea quae iam in Motu proprio "Crebrae acatae sunt" inveniuntur (v. g., Hierarcha, Syncellus Synodus, ordo maior non complectens subdiaconatum, etc.) occurrit v. g., Archiepiscopus (sensu particulari), can. 20; Synodus permanens, can. 86; locus stauropégiacus, can. 151; vicarius iudicialis (= officialis), can. 40; iudices eparchiales (= iudices synodales), can. 41; Conventus eparchialis (= Synodus dioeciesana), can. 42, § 2; maior hebdomada (= hebdomada sancta), can. 154; collationes Episcoporum (= conventus Episcoporum), can. 436. Terminologiam orientalem et latinam invenies, v. g., in can. 17, § 1: depositio minor seu depositio simplex et depositio maior seu degradatio; et in can. 168, § 2: protopresbyter seu Vicarius foraneus.

Maior mutationum numerus respicit *ipsam linguam latinam*. Nos hic aliqua tantum exempla proferemus, quasi casu arrepta, quae imprimis respiciunt certas locutiones apud canonistas in usum receptas et voces senioris aetatis.

Ita loco "industriæ personæ" dicitur: "nisi persona propter suas qualitates electa fuerit", can. 5, § 2 (CIC, 199, § 2); loco "personam habere—vel non habere—standi in iudicio", simpliciore modo dicitur: "personam habere—vel "carere"—in iudicio, can. 167 (1652); 231 (1709), § 1; 418 (1892), § 2. In can. 225, § 2, agitur de delicto quod habet "tractum" (CIC, can. 1705, § 2: "tractum successivum"). In can. 10 (206), non iam dicitur "successive" sed "diverso tempore". Terminus "per turnum", utpote usu receptus conservatur, sed in can. 46 (1576), § 3, habetur "designet *ex ordine per gyrum seu turnum*"; in can. 78 (1598), § 4: *ex ordine seu per singulos turnos* (cf. can. 87, § 2 et 88, § 2, 1.º). In can. 397 (1873), § 2: vox "extensor" circumscribitur: "iudex qui sententiam conscribit".

"Informationes, ut vocant, orales" alia ratione describuntur in MP can. 390 (1866), § 1. In can. 1603, § 1, 4.º, sermo est "de expostulatione pro restitutione in integrum..."; in MP, can. 84, "de petitione restitutionis in integrum...". Ubi CIC loquitur de "testificationibus" (1763, 1781 ss.), in MP adhibetur terminus "testimonia" quo ipse CIC alibi utitur (MP, can. 285, 304 ss.; cf. rubricam ad art. V et can. 1782, §§ 1 et 2).

In MP sermo est non de "voto" (CIC, 1801, § 1), sed de "iudicio" peritorum (324, § 1). Circumlocutione utitur, ne loquatur de "testimoniis adminiculativis", can. 313 (1790).

In MP nexus inter canones et §§ saepe omittitur, cf. can. 369 (1845), § 1: sed potest; 379 (1855), § 2, 1.^o: Idcirco...; can. 400, Sententia rite redacta (CIC, can. 1876: sententia hac ratione redacta); can. 424 (1897), § 2: Imo iudex.

Supprimuntur in MP plerumque particulae ut "scilicet"; can. 306, 2.^o (1783, 2.^o); 446 (1918), et "nempe", 306, 2.^o (1783, 2.^o), sed hoc conservatur can. 288 (1766), § 2.

Quum secundum usum anterioris aetatis particula "quin" adhibeatur tantummodo post propositionem negativam, in can. 173 (1658), substituitur: "*neque* opus est..."

Apparet in MP studium restringendi usum liberalissimum vocis eligendi qui in CIC invenitur. Interdum substituitur "designare", can. 40 (1573), § 7; 46 (1575), § 3; 316 (1793), §§ 1 et 3; 443 (1916), § 1; vel "nominare", can. 41 (1574), § 1; 66 (1589), § 1; vel "constituere", 67 (1590), § 3; 170 (1655), § 2; 171 (1656), § 1; 173 (1658), § 1; vel "deligere", 45 (1575). Tamen in aliis locis vox "eligere" conservatur, v. g., can. 52 (1580), § 2; 55 (1583), 93, (1607), § 1; 136 (1621), § 1; 173 (1658), § 4; 484 (1977). Similiter locutio sollemnior "fas est" in MP plerumque alia ratione exprimitur, can. 187 (1670), § 2; 188 (1671), § 1; 395 (1871), § 4; 490 (1983), § 1; sed interdum conservatur, can. 153 (1638), § 2.^o; 397 (1873), § 1, 2.^o.

In CIC saepissime verbum "teneri" coniungitur immediate cum infinitivo. Hic construendi modus in MP regulariter mutatur; plerumque adhibetur vox "debere", can. 92 (1606); 124 (1609), § 2; 126 (1611); 136 (1621), § 2; 142 (1627); 162 (1647); 163 (1648), § 1; 193 (1675), § 2; 253 (1731), 3.^o, etc. In can. 219 (1699), § 1, dicitur: "obligatione respondendi non tenetur".

Linguam latinam recentioris aetatis invasit frequens usus praepositionis "pro". Haec substituitur praepositione "ad" in MP, v. g., can. 56 § 56 (1585), § 2; 66 (1588), § 2; 150 (1635); 168 (1653), § 1; 173 (1658), § 2, etc. Substituitur praepositio "de" in can. 246 (1724); 427 (1900), etc. In can. 9 (CIC 205), § 3, loco "pro validitate" legitur "ut valeat".

Multa alia sane et profundiore methodo iis quae diximus de Motu proprio "De Iudiciis" addi possunt; sed finis nostrae dissertationis limitatus erat: voluimus conspectum generalem novae legis dare et imprimis eorum quibus differat a Codice Iuris Canonici. Paucae sunt hae diffe-

rentiae si integer textus legis spectatur et hac ratione testimonium redditur sapientiae quacum Codex elaboratus est. Tamen quod non solum in partibus in quibus peculiaris constitutio hierarchica et traditio Orienti propria in quaestionem veniunt, sed in aliis quoque Motu proprio interdum nova via incedit, id demonstrat scientiam iuris canonici etiam nostris temporibus scientiam vivam esse et vigere studium normas iuris semper melius necessitatibus temporis praesentis adaptandi. Quamquam autem Motu proprio tantum Orientalem Ecclesiam afficiat, nullum dubium quin sub hoc respectu cultoribus quoque iuris canonici latini cogitatio et studium novae legis veram afferant utilitatem.

AEMILIUS HERMAN, S. J.

In Pontificio Instituto Orientali professor